

**XI**

AD QVINTIVM HIRPINVM

*Strophe Alcaica*

Quid bellicōsus Cantaber et Scythes,  
Hirpīne Quīntī, cōgitet, Hadriā  
Dīvīsus obiectō, remittās  
Quaerere ; nec trepidēs in ūsum

Poscentis aevī pauca : fugit retrō  
Lēvis Iuventūs et Decor, āridā  
Pellente lascīvōs amōrēs  
Cānitiē facilemque somnum.

Nōn semper īdem flōribus est honor  
Vernīs, neque ūnō lūna rubēns nitet  
Vultū : quid aeternīs minōrem  
Cōnsiliīs animum fatīgās ?

Cūr nōn sub altā vel platanō vel hāc  
Pīnū iacentēs sīc temere, et rosā  
Cānōs odōrātī capillōs  
Dum licet, Assyriāque nardō

Pōtāmus ūnctī ? Dissipat Euhius  
Cūrās edācēs. Quis puer ōcius  
Restinguet ardentis Falernī  
Pōcula praetereunte lymphā ?

Quis dēvium scortum ēliciet domō  
Lūdēn ? Eburnā, dīc age, cum lyrā  
Mātūret, in cōmptum Lacaenae  
Mōre comam religāta nōdum.